

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8693

Auteur(s) : Alexandre III [pape]

Bénéficiaire(s) : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1163, 23 octobre

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

BULLE DU PAPE ALEXANDRE III. — Alexandre III, confirme l'autorisation donnée par le pape Eugène III, de jouir de tous les priviléges. Les biens, dîmes et revenus quelconques possédés par l'abbaye sont énumérés et mis sous la protection du siège apostolique. Il menace des foudres de l'Eglise quiconque osera porter la main sur l'abbaye. — 23 octobre 1163.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n° L, p. 90-92.

Texte d'après a

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Erardo abbati Sancte Marie de Persenia ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum desiderium quod ad religionis propositum et animarum salutem pertinere monstratur sine aliqua est dilatione complendum ; ea propter dilecti in domino filii nostri justis populationibus clementer annuimus et prefatum monasterium in quo divino mancipati estis obsequio patris et predecessoris nostri sancte recordationis Eugenii pape vestigiis inherentes, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti regulam atque institutionem cisterciensium fratrum in nostro monasterio noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter conservetur. Preterea quascumque possessiones quecumque bona idem monasterium in presentiarum juste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu alii justis modis, Deo propitio, poterit adipisci firma nobis nostrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimendi vocabulis : locum in quo ipsa abbatia sita est, grangiam que vocatur Stus Jacobus cum pertinentiis suis, stagnum juxta ipsam grangiam cum terris sibi adjacentibus et molendinum secus ipsum stagnum, vineam quamdam juxta Castrum Novum et terram que vocatur Ragoneria et terras et prata que habetis ante ipsum castrum, grangiam que vocatur Altanoscia cum pertinentiis suis, prata que sunt apud villam que Roeliers dicitur, pasturam porcorum cum aliis usibus eidem domui juste concessam ; in territorio Alentioni quandam grangiam que vocatur Malafia cum terris et pratis sibi pertinentibus ; grangiam de Monte Poplano cum pertinentiis suis, grangiam de Clarafontana cum pertinentiis suis, terram de Vermunt, terram de Lalerra, et terram de Larusca. Sive laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas presumat exigere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel abbatis retinere minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare ; sed illibata omnia integre conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura salva

sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertione commonita, si non congrue emendaverit potestatis honorisque sui careat dignitate reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscatur et a sacratissimo corpore et sanguine Dei ac Domini redemptoris nostri Jesu-Christi aliena fiat atque in extremo examine districte subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax domini nostri Jesu-Christi quatinus et hoc fructum bone actionis percipient et apud districtum judicem premia eterna pacis inveniant. Amen, Amen, Amen. Ego Alexander catholice ecclesie episcopus, S. † Ego Hubaldus, hostiensis episcopus, S. † Ego Bernardus, porticensis et Sancte Rufine episcopus, S. † Ego Gualterius, albanensis episcopus, S. † Ego Ubaldus, presbiter cardinalis tituli Sancte Crucis in Jerusalem, S. † Ego Henricus, presbiter cardinalis tituli Sanctorum Nerei et Achillei, S. † Ego Johannes, presbiter cardinalis tituli Sancte Anastasie, S. † Ego Albertus, presbiter cardinalis tituli Sancti Laurentii in Lucina, S. † Ego Guillelmus, presbiter cardinalis tituli Sancti Petri ad Vincula, S. † Ego Jacintus, diaconus cardinalis Sancte Marie in Cosmydyn, S. † Ego Oddo, diaconus cardinalis Sancti Nicholai in Carcere Tulli, S. † Ego Ardigio, diaconus cardinalis Sancti Theodori, S. † Ego....., diaconus cardinalis Sancti Eustachii juxta templum Agrippe, S. Data senon. per manum Hermanni Sce. Apostolice ecclesie subdiaconi et notarii X. Kl. Novembris, indictione XI. Incarnationis dominice anno M° C° LXIII, pontificatus vero domini Alex. pp. III anno VII°.